

## **Exostosis singulari exemplo illustrata ... / [Johann Heinrich Morstatt].**

### **Contributors**

Morstatt, Johann Heinrich.  
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.  
Universität Tübingen.

### **Publication/Creation**

Tubingae : Typis Fuesianis, [1781]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/uqwatqbn>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

# EXOSTOSIS

## SINGVLARI EXEMPLO ILLVSTRATA

---

QVAM  
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
 VNIVERSITATIS EBERHARDINO-CAROLINÆ  
 SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DOMINO

C A R O L O

DVCE WVRTEMBERGIÆ AC TECCIÆ REGNANTE  
 REL. REL.

---

P R Æ S I D E

GEORGIO FRIDERICO SIGWART

PHIL. ET MEDIC. DOCTORE, CHIRVURGIAE ET ANATOMIÆ  
 PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
 MEDICO AVLICO

P. T. DECANO FACVLT. MED.

PRO LEGITIME CONSEQVENDO GRADV  
 DOCTORIS IN VTRAQVE MEDICINA

DIE SEPT. MDCCLXXXI.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI PROPONIT  
 AVCTOR RESPONDENS

IOHANNES HENRICVS MORSTATT

IN DVCALI ACADEMIA MILITARI PROSECTOR.

---

T V B I N G Æ

T T P I S F V E S I A N I S.



EXOTIS

SINGAPUR EXHIBITION 1883

RESTORE MAGNETIC FORCE  
AND REPAIRS ELECTRICITY  
SINGAPORE AND PENANG

CELESTIAL

CELESTIAL

READ

GEORGIO FRIDERICO SIGWART

THE UNIVERSITY OF GIESSEN

PROFESSOR OF PHILOSOPHY  
DOCTOR OF PHILOSOPHY

DECEMBER 1883

ON THE HISTORY OF THE

IN THE HISTORY OF THE

THIS





## PRÆFATIO.

**D**iu multumque rebus chirurgicis occupatus, tam in civili, quam militari praxi opportunas nactus sum occasiones, quam plurimas faciendi observationes, factasque ab aliis annotandi. Inter eas, cum de specimine inaugurali cogitarem, illa mihi præsertim arridebat, atque cum publico communicari, digna visa fuit, quam de *exostosi capitis ossis humeri* habuimus, cujus præparatum in DVCALI nostra ACADEMIA MILITARI asservamus. Accipe itaque L. B. succinctam hujus casus descriptionem, ejusdemque occasione subnata mihi de *Exostosi* cogitata nosologica.



## HISTORIA MORBI.

**I**ntereram duos abhinc annos sectioni ancillæ, quæ exostosi capitis ossis humeri laborabat. Tumor ille circum circa humeri articulum productus erat, & primo aspectu admodum fungosus comparebat. In eo illico animadvertebantur plures sinuosi atque fistulosi meatus, qui, specillo ultra explorati, in omnem articuli ambitum excurrere, & in ipsum caput ossis humeri descendere, deprehendebantur. Præfectorum venerandorum jussu adcuratior hujus tumoris sectio, & exploratio, mihi suscipienda erat. Separabam itaque quam cautissime a solidis quasvis partes molliores, id quod sine læsione duriorum partium perficere licuit, quantumvis fibræ earum admodum friabiles erant. Dein frigida, subinde renovata, totum immisi tumorem, ut, levioris macerationis ope, putridas ipsius partes separare potuerim. Præternaturali hoc texto sic conspectius reddito, deprehendebam illud crusta solidiori, fornicis instar, obductum, subtusque excavatum. Involucrum illud valde occallatum & nodosum erat. In cavo ipsius plurima cavernosa loculamenta, peculiaribus sepimentis disclusa, occurrebant, quæ magnam fætidissimi laticis, partim tenuioris, partim spissioris, qualem alias continent sic dicta osteosteatomata, humoris copiam recondebant. Hunc provide eluebam, cavendo ne adeo friabiles fibras osseas destruerem. Ab ipsa exostosi fibræ osseæ quaquaversum excurrabant, perque has cum illa coalitæ erant partes vicinæ, pars nempe cavitatis articularis Fig. 2. A.

Sum-



summitas marginis inferioris scapulæ, Fig. 1. C. acromii superficies inferior Fig. 2. A. atque apophysis coracoidea a basi ad apicem ipsius usque. Ancilla illa itaque viginti annorum, quæ antea optima fruebatur sanitate, ex lapsu graviore contusionem axillæ sinistræ passa, ex leviori hoc atque facile medicabili malo in tantum infortunium coniecta est. Vix enim de aliquo dolore ab initio conquerebatur, atque omnes solitos brachii motus, vix aliquam sub istis molestiam sentiens, edere poterat. Quare ab hoc malo nullum periculum imminere putabatur, illudque neglecta necessaria medicatione, minus congruis, atque insufficientibus, mediis tractabatur. Hinc istæ lacrumæ. Omnia celerius in pejora ruebant. Insigniter intumescibat humerus. Intumescencia, quæ in principio parva erat, adaugebatur, accedentibus, & indies incrementibus, doloribus. Multæ fungosæ subsequebantur excrescentiæ sanguinolentæ, quæ interdum intra 24 horas ad libram usque dimidiam incresebant, quæ instrumentis, septicisque validioribus, ablatae, mox iterum recrudescebant. Præterea in Xenodochio, in quod ægra recepta erat, ab artis peritis dexterrimis, omnia, tam interna, quam externa, quæ hic recensere nimis prolixum foret, tentabantur, sed omnia in cassum. In deplo-rando hoc statu integrum octennium transigere debebat, donec omnibus vitæ viribus exhaustis, & febre hætica consumpta, ab hoc malo liberata fuit.



# EXOSTOSIS

## NOSOLOGIA.

### §. I.

Quam in Præfatione hujus dissertationis præmissæ *morbi historię* annectere, atque *speciminis inauguralis* loco, cum publico communicare constitui cogitata *nosologica*, ea ob temporis & pagellarum harum angustiam *aphoristica* potius, quam *rigorosiori analysi*, adeoque succincta methodo expediam. Quare L. B. jam non expectabit *plenam* hujus *morbi translationem*. Operam attamen navabo, ut indicata ratione præcipua, huc spectantia, & talia rei momenta exquiram, quæ totius exquisitionis hujus doctrinæ *nosologicæ* primaria atque firmiora præbere possint fundamenta. Quo igitur sic capto consilio *morbi hujus historiam* excipit succincta *exostosis Nosologia*, alteramque hujus opellæ *Partem* constituens.

### §. II.

*Tres* sunt universæ *Medicinæ partes primariæ*: a) *Pathologia* quippe, b) *Materia medica*, & c) *Therapevtica*. *Prima* plane *theoretica* est; *secunda* *theoretico-practica*; *tertia* *mere practica*.

### §. III.

Quemadmodum enim *Materia medica* latius, rectiusque sic dicta versatur circa *media medica* tam *cognoscenda*, quam debite *præparanda*, ita *Pathologia* occupata est circa *morbos cognoscendos*, & *Therapevtica* pro objecto suo agnoscit dextram cognitorum *medicorum*.



diorum ad cognitos morbos adplicationem. Qui aliter sentiunt & loquuntur, vel justos, quibus circumscribitur *Medicina* limites ignorant, vel ipsius distinctas provincias primarias non debite discriminant.

§. IV.

*Nosologica* erunt, quæ hac vice propositurus sum. Quare hic neque *physiologica*, neque *anatomica*, fusius immiscenda erunt. Ea enim omnino excludit modo (§. I.) determinatum *tractationis* hujus *objectum*, ex quo dicendorum ambitus dimetiendus est. In hoc quidem, ut in aliis consimilibus argumentis medicis, alias prolixiores sunt in immiscendis anatomicis & physiologicis. Ita vero aliena inde accersunt & remotiora, quæ sæpius ea ipsa, quæ ad præfixum thema spectant, extrudunt. Sin igitur in ista hic prolixius excurrere, & e. g. exponere vellem, quæ sit ossium, partiumque ipsis annexarum, periostei, glandularum, vasorum fabrica, quæve illorum harumque functiones, male certe nimisque discederem ab ipso mihi præfixo argumento. Ista omnia *supponere* licet. Quæ enim in aliqua doctrina *supponuntur*, ea ab illa non *involvuntur*, adeoque etiam non implicanda sunt. Alias eadem ad nauseam usque repetenda essent. Quemadmodum id ita fieri assolet, quando e. g. in *Anatomia physiologica*, in *Physiologia anatomica*, & in *historia naturali* ea tractant, quæ ad *materiam medicam* spectant, in hac iterum repetunt, quæ, ad *historiam naturalem* pertinent.

§. V.

*Bonus* certe esse nequit *Præcticus*, qui non sit bonus *Theoreticus*. In *Theoria* autem medica fundatur *Therapia* nostra.  
Theo-



Theoriæ vero pathologicæ fundamentum primum Nosologia certe complectitur. Eo enim nituntur, quæcunque intelligentius solidiusque dici possunt de reliquis momentis pathologicis, de ætiologicis nempe, symptomatologicis, atque semioticis æque, ac practicis. Ex quo luculenter patescit instituti præsentis usus, in universam non modo reliquam Pathologiam, sed & in ipsam Therapiam praximque longe latissimeque sese diffundens.

## §. VI.

*Nosologia*, qua voce nimis *vage* utuntur justo *dicationes* potius, quam vere *analytici* Pathologi, proprie ea dicenda est Pathologiæ pars, quæ circa ipsos morbos horumque constitutiones occupata est. Eo itaque maxime spectant *morborum genuinæ & adequatæ notiones* definitivæ, eorumque ab aliis, quibuscum facile confundi possunt, exquisitiores *distinctiones*, atque enucleationes, in suas species *divisiones*. De his ergo hic mihi circa *Exostosin* explicandam quam maxime (§. V.) dispiciendum erit.

## §. VII.

Quam apta græca hæc vox, tam inepta sæpe est eorum, quos *Battones*, seu *Battologos* rectius dixeris, quam *Pathologos*, circa conceptum ipsius occupatio. Vel enim hujus rei minus curiosi, de ipso hoc morbo, ne quidem definito, tractant, vel tam *vage*, & promiscue, de illo loquuntur, ut, quid hoc nomine veniat, ipsimet nesciant. *Alii*, *exostosin tumoribus*, *Alii* contra, illam *excrecentiis*, accensent. *Alii* promiscue de illa loquuntur, atque nunc *tumorem*, nunc *excrecentiam*, nuncupant. *Alii* *exostosi hyperostosi* addunt, quem posteriorem terminum iterum



iterum miseris torquent ambiguitatibus. *Alii* quippe eum pro *synonymico* habent, quo facto, *otiosum* in scientiis terminum admittunt. *Alii*, *hyperostosis* speciem *exostosis* faciunt. *Alii*, hanc pro distincto ab illa habent morbo, & *hyperostosis* dicunt *exostosis spuriam*. &c.

### §. VIII.

Hasce (§. VII.) ambiguitates, harumque removendarum necessitatem, probe etiam perspexit IOH. THEOPHIL. LUDWIG in perquam docte conscripta *Dissertatione de exostosis*, Præsidente IOH. IVNCKERO. *Halæ Magdeb.* 1756. habita, qui in præfatione, p. 3. 4. scribit: in numero eorum, quæ hæcenus in profundo alte demersa & abstrusa delituerunt, atque indidem indefessa diligentia & opera recentissimorum quorundam Medicorum, nunc demum, nostra memoria, in lucem prolata sunt clariorem, præter innumera alia, ista quoque pravissimi subinde ingenii mala, jure meritoque habenda veniunt, quæ in Chirurgorum scholis *exostosis*, & *hyperostosis*, nomine cieri assolent. Quæ, quam parum, non antiquissimis dicam, neque veteribus rei chirurgicæ Scriptoribus, sed recentioribus plurimis, a nostro ævo minus remotis, perspecta fuerint & cognita, liquido satis adparebit illorum de his morbis monumenta consulturo. Quid? quod ausim fere aperte palamque dicere, nec recentissimis Medentium, si ab aliquibus illorum discesseris, veram & germanam horum ossium morborum indolem satis fuisse inspectam, & ad veritatis normam, ita exactam, quemadmodum id natura & conditio horum tumorum exposcit, alias non facile cujusquam mens, aut cogitatio, capere posset; undenam magna inter tantos doctissimos viros dissensio oriri quivisset, hæc ossium exstantias præternaturales explanatum, & incertas species digestum, ituros. Et quoniam





*in tanta sententiarum, quæ Auctoribus nostri ævi sunt de hisce ossium malis, varietate, vix ac ne vix quidem invenire liceat, cui, sine erroris committendi metu, accedi posset, cet. Et pag. 5, 6. §. II. idem hisce repetit laudatus Auctor: Non alienum erit brevi ostendisse, venerandæ antiquitati hasce ossium exstantias non perspectas fuisse, & cognitatas, & si quam forte quoque eorum habuerint cognitionem, eam tamen certe admodum obscuram, mancam atque imperfectam exstitisse . . . . Quamvis autem recentibus Medicis gratia debeat maxima, quod perplexa hæc ossium mala ex tenebris, quibus occultata, & circumfusa, latuerunt, in lucem vocaverint, non tamen possum, quin ingenue profitear, & præ me feram, illos in ossibus hisce tuberibus designandis, & disjungendis, tanto inter se opere dissentire, & discordare, ut, cujus sententiam amplectaris, vix tibi liqueat. Sunt enim, qui cunctos ex ossibus præter naturam emergentes tumores, velut tophos, nodos, ὄζωσείς, in censum gummatum gallicorum referunt, eos ad unum omnes promiscuos habendo, aliis contra variis has osseas excrescentias, cum ipsis gummatibus gallicis, ὄζωσέων voce complectentibus. Nec desunt, qui gummata, tophos, nodos, cetera ad spinæ ventosæ species, reducant.*

### §. IX.

Plurimorum aliorum hac de re traditis multo enucleatiora quidem traduntur in allegata (§. VIII.) Dissertatione. Verum enim vero diffiteri non possum, rem ibi acu non plane tactam fuisse, præcipue quoque quoad ipsius hujus morbi debitam determinationem. Quare quam maxime hic necessarium erit, in tanta dissensione ultra disquirere, qualis ille sit morbus, qui *exostosis*, vulgatiore dicendi consuetudine, vocitatur, ut dein re-



liqua, de illo scienda, dilucidior declaratione, exponi possint. Valde audax quidem videri possem, quod post tam laboriosa, etiam celeberrimorum virorum, tentamina, me nunc demum eum esse putem, qui possit

— — *tantas componere lites.*

Arduum fane, haud diffiteor, opus adgredior, Sed quid tum? tentare id, quid vetat? In indaganda veritate, & removendis ipsius obstaculis, audaces esse ejusdem studiosos nil vituperii habet. Modo modestiæ non repugnet ejusmodi audacia, nec in temeritatem degeneret.

### §. X.

Neminem, græcarum litterarum non plane ignarum, latet, vocabulum, *Exostosis*, quod vi usus ipsius in ligata, græca etiam, æque, ac in prosa, minimum in Latium translatum, penultimam producit, derivari ex græcis *ἐξ* & *ὄσσις*, vel quasi ab *ἐξοσσω*, velut ex ipso osse exstans, ut proinde *notationi* hujus vocabuli immorari non opus sit. Quid vero illud designet, id dictu difficilius est, nec dici potest, nisi præmissa *distinctione significatus* ipsius *latioris, strictiorisve*.

### §. XI.

*Latiore* nempe *sensu* accipitur hic *terminus*, pro quovis osseum tumore, undecunque nato, strictore tantum pro eorum tumore, ab excrecentia formato. Prior significatus doctrinæ rationi convenientior est, & quantumvis a communiori, haud tamen is ab omni loquendi usu discedit. Quare eum omnino hic retinendum esse, sentio.



## §. XII.

Visne *auctoritatem*, accipe talem, qua facile habere non poteris majorem, duplicem quidem, alteram celeberrimi illius imperante LVDOVICO xv. regię stirpis Medici primarii IOSEPH. LIEVTAUD, qui in *synopsi universę praxeos medicę, Amstelod. 1765. edita, P. I. p. 412.* Exostosis, inquit, vocitatur quęvis ossium protuberantia morboſa, diverso densitatis gradu, exostoses enim familiares duritiem ossium sanorum contrahunt; alię vero molles, & tađu cedentes, observantur. Gummata audiunt hę postremę, e gangliis prima fronte vix discrepantes, quę e cranio & crassioribus ossibus erumpentes, pro luis venereę symptomate habentur. Alia est species medium, ratione duritiei, inter utrumque locum obtinens, quę virus venerei etiam soboles, nodus vocitatur. Sed inter exostoses minime recenseri debent, tphi arthritici, calli prominentię post ossium fractorum ferruminationem, nec ossificationes tendinum sub senio familiares. Huic altera, priori non minor, addenda est BOERHAAVII auctoritas, qui prope eandem fovet sententiam. V. VAN SWIETEN comment in BOERHAAVII Aphorism. T. I. §. DXLIX, Quę quidem in allatis enodatius dici potuissent, ea in sequentibus exactius exponenda venient.

## §. XIII.

Pręterea (§. XI. XII.) non desunt, qui *latissimo ambitu* circumscribunt exostoses, & quosvis circa ossa occurrentes tumores, adeoque tam eos, qui ex ipsis ossibus emergunt, quam eos, qui illorum perioſtiis innascuntur, aliisque modis ipsis insident. Sed *latissima* hęc acceptio jam ipsi hujus morbi denominationi, in superque ejusdem indoli, prętereaque omni receptiori usui loquendi plane repugnat.

## §. XIV.



§. XIV.

*Latiori itaque illo (§. XI.) sensu accepta exostosis dicenda est, quivis ossium tumor. Quam brevis, tam plena, atque genuina, hæc est definitio.*

§. XV.

Exostosis itaque, vi, rite positi in hac (XIV.) *definitione*, generis proximi, in tumorum censum deferenda est. Ita quoque de hoc malo loquuntur omnes, qui de eo aliquid litteris prodiderunt. Quamvis enim exostosin aliquando etiam *excrecentiam* dicant, frequentior attamen apud illos prior est locutio, ut ex tantum non omnium scriptis constet, morbum hunc tumoribus illos accenferi velle. Exostosis itaque etiam ex vulgatiore loquendi usu est de tumorum genere.


§. XVI.

*Tumor est terminus pathologicus.* Id quod etiam innuit denominatione germanica, qua audit: *eine Geschwulst*. Tumor itaque, definite dicit quamvis *eminentiam præternaturalem*, *præternaturalem* quidem, quia non omnes protuberantiæ tales existunt, adeoque *dividendæ* sunt: in *naturales*, & *præternaturales*, quæ posteriores proinde *tumores technice* nuncupantur.

§. XVII.

*Exostosis igitur tumorem sistit*, adeoque non qualemcumque *excrecentiam*. Minus proinde adcutate loquuntur, qui eam *excrecentiæ* nomine vendicant. Præterea haud omnis *excrecentia tumorem* sistit, quamvis hunc illa aliquando producat, & ipsa etiam exostosis sæpius ab illa formetur.





## §. XVIII.

Exostosis *vi* divinitionis (§. XIV.) est tumor.

## §. XIX.

E. protuberantia præternaturalis (§. XVI.).

## §. XX.

E. morbosa, quia est status præternaturalis internus.

## §. XXI.

E. neutiquam naturalis, quæ ideo hoc nomine insigniri nequit.

## §. XXII.

Exostosis est *ossis* tumor (§. XIV.).

## §. XXIII.

E. ipsius ossis, atque in hoc, & ex hoc, enatus, ipsique innatus.

## §. XXIV.

E. non aliunde,

## §. XXV.

E. non ex ipsius perioostio, prognatus.

## §. XXVI.

E. ipsi non adnatus assidensque, seu extra & circa illud productus.

## §. XXVII.

Qualis (§. XXVI.) forte *aptius* dici posset *υπεροστωϊς*, si quidem hunc terminum retinere vellemus. Sed melius eo carere possumus, utpote *abundante*, atque tam vago, ut ab aliis atque



que aliis alio semper significato adhibeatur (§. VII.). In exemplis sequentes tantum pono Auctores. PLATTNERO in *institut. chir. aphor.* §. XIV. ea dicitur protuberantia, quando totum os intumescit. In supra (§. VIII.) excitata dissertatione §. XXII. p. 22. definitur: *tumor præternaturalis ossium duntaxat spongiosorum, ideoque etiam extremitatum, seu capitum, quæ fistulatis ossibus utrobique obvia sunt, quo ossa hujusmodi ex omnibus partibus inflammantur, nec raro nimium quantum intumescunt.* Quin ipse hujus dissertationis Auctor, sibi minus constans, nunc ad veras, nunc ad spurias, *exostoses* refert *hyperostoses*. Eadem chorda pariter oberrant ASTRUC *Libr. de morbis vener.* L. IV. C. III. T. II. & PLATTNERVS porro, *loc. cit.* §. 1028. Prætereo alia Aliorum ambigua hic dogmata.

### §. XXVIII.

*Exostosis indefinite* dicitur ossis tumor (§. XIV.), adeoque utrobique involvit, partim omnium ossium, dentibus non exceptis, partim quemvis eorum tumorem, cujuscunque is fuerit qualitatis, & quantitatis.

### §. XXIX.

Præmissa (§. XV -- XXVIII.) ex data (§. XIV.) *exostosis definitione*, sponte profluentia, axiomata, confectaria, &, quæ his interjecta sunt, *scholia*, ita, ni fallor, comparata sunt, ut ex illis facile innotescere possint, morbi hujus ab aliis *distinctiones* pariter, atque ejusdem in suas species *divisiones*. Jam ex istis, dein ex hisce, præcipuas attingam.

### §. XXX.

Quam necessarium sit, atque utile, singulorum morborum ab aliis, cum quibus facile confundi possunt, confundunturque ut plu-



plurimum, *distinctiones* distinguere ab eorum *divisionibus*, & utrasque se junctim expendere atque proponere, in *pathologicis doctrinis*, perspicacioribus *Pathologiis* ignotum esse nequit.

### §. XXXI.

Juxta præhabita (§. XIV -- XXIX.) autem perquam facile *distinguitur exostosis* ab *excrecentia in genere*, quia non omnis *excrecentia* tumorem format, & *exostosis* de tumorum familia est;

### §. XXXII.

dein (§. XXXI.) ab *excrecentia*, tumorem formante, ut *species exostosis* ab *exostosi generatim* dicta.

### §. XXXIII.

Qui igitur *exostosi* definiunt *excrecentiam*, ii *causam*, & *effectum*, confundunt.

### §. XXXIV.

*Exostosis* porro (§. XXXI. XXXII.), juxta præstructum (§. XIV.) ipsius *conceptum*, debite *distinguitur a callo*, quia *exostosis* est tumor, cum non omnis *callus* sit tumor, & existant quoque *calli planiores*, *callus* etiam *latius pateat*, nec in *solida ossa*, sed & in *molliores partes* cadat, atque porro a *densitate* & *duritie* dicatur, *exostoses* vero etiam *molliores* existere possint;

### §. XXXV.

a *calli ossium distentione*, atque *tumidiore excrecentia*, ut *genus a specie*;

### §. XXXVI.

a *scirrho*, qui in *folis mollioribus partibus*, suboritur;

### §. XXXVII.



## §. XXXVII.

a ganglio, modo dicta (§. 35.) ratione,

## §. XXXVIII.

a nodo in genere, qui pariter in mollioribus tantum partibus emergit, ita e. g. qui existunt in mammis tumores solidiores, nodi mammarum dicuntur. Vel enim nunquam, vel si unquam, de ossium nodis aliquid proferunt, insolentius id fit.

## §. XXXIX.

Distinguitur ultra a nodo (XXXI—XXXVIII.) in specie e. g. arthritico, qui non ex ipso osse, sed ex humore articulari, generatur, adeoque osse non innatus, sed ipsi tantum adnatus est,

## §. XL.

a tophe,

## §. XLI.

a gummi in genere, & in specie gallico,

## §. XLII.

ab aliis alio alias nomine cieri solitis tumoribus, ossibus adnatis, nec ex ipsis ossibus provenientiibus, sed ex articulis & periostiis crassescantibus, & subinde solidescantibus, productis, quales omnino existere laudatus ASTRUCIUS, Vir doctrina & experientia clarus, testisque fide dignus, observavit. Conf. ipsius supra cit. (§. XXVII.) Lib. L. IV. C. III. §. V. T. I. §. VI. T. III. C. XI. §. V.

## §. XLIII.

a tumore spinæ ventosæ exostosis differt, ut genus a specie.

C

## §. XLIV.



## §. XLIV.

a carie interna tam, quam externa.

## §. XLV.

ab exfoliatione, utrimque quidem, vel ut effectus, vel ut causa.

## §. XLVI.

Unicam prioribus subjungo *distinctionem*, quæ quoad *quantitatem* exostosis se offert, nec negligenda est, quam juxta illa certe non *dividenda*, sed distinguenda est: in a) *minorem*, b) *ma-  
jorem*.

## §. XLVII.

In enormem & stupendam magnitudinem nonnumquam surgunt hujusmodi tumores. Grandiorum vero conceptaculum esse ossa spongiosa, duriorum contra, minus exstantium, latibulum esse, utrimque tam eorum fabrica docet, quam experientiæ testimonium confirmat.

## §. XLVIII.

Prætereo reliqua discrimina, quibus exostosis ab aliis distinguitur morbis. Commemoratis enim hætenus (§.XXXI—XLVII.) eam huic doctrinæ lucem affundi, qua ambiguitatum, & logomachiarum, in ea nubes dispelli possint, firmiter persuasum habeo.

## §. XLIX.

Neque multam amplius difficultatem habere poterunt morbi hujus lucidiores *divisiones*, prætentatis ejusdem *distinctionibus* nunc addendæ (§. VI.), indagatu æque dignæ, atque ad faciendam Medicinam necessariæ.



§. L.

Exostosis *vel* cum, *vel* sine excrescentia existit, atque sola ossium distentione formatur.

§. LI.

Inde illa *dividitur*: a) in exostosin per distentionem, & b) exostosin per excrescentiam, quarum *illa* proinde a sola ossium distentione, & *hæc* ab eorum excrescentia formatur.

§. LII.

*Noviorem*, hactenus neglectam, primam hanc (§. I.) *exostosis divisionem* justam esse, ex præstructo (§. L.) ipsius *fundamento* sponte intelligitur. Præterea inde ut patet, ita & discutitur facile eorum in hac doctrina, *vel error, vel logomachia*, qui omnem exostosin pro *excrescentia* habent, vel minimum promiscue eam, nunc excrescentiam, nunc tumorem dicunt (§. XV.). Inde enim intelligunt, haud omnem exostosin cum excrescentia existere, sed aliquando etiam sine hac, a sola ossium fabricæ distentione, oriri, adeoque hæc ipsius *species* neutiquam promiscuas habendas, & probe discriminandas esse, multoque minus, admissa definitione *definito angustiori*, in praxi alteram *speciem* negligi debere.

§. LIII.

Quoad densitatem exostoses varias existere, ab experientia constat. Hinc non inutilis petitur earum *divisio*: in a) *duras*, & b) *molles*.

§. LIV.

Utræque (§. LIII.) gradibus iterum differunt, a quibus non quidem *dividendæ*, sed *distinguendæ* sunt, in plus, minusve duras, mollioresque.



## §. LV.

Neque porro *dura* cum *compacta*, neque *mollis* cum *laxa*, confundenda est. Utraque *subdividenda* est: in a) compactam, & b) laxam.

## §. LVI.

Fide dexterrimorum OBSERVATORVM testimonio, confirmata habemus indicata, (§. LIV. LV.) exostosium discrimina. Aliarum enim ea deprehensa fuit soliditas, & densitas, quæ ipsius ossis durissimi est, quin eboris. Aliæ contra observabantur, extus in densissimum quasi fornicem elevatæ, intusque cavernosæ, quarum cellulæ vel melioris, peiorisve & sæpe pessimæ indolis humoribus, densioribus, tenuioribusve, vel carnosis etiam, & cartilagineis excrescentiis repletæ erant. Notabiliora, & Spectabiliora harum exostosium exempla jam RVYSCHIVS colligebat, interque suos thesauros asservabat, aliisque spectanda exhibebat. v. EJVS *Thesaur. anatom.* X. No. CLXXVII. & No. CLXXVIII. Tab. II. Fig. IV. V. IX. X.

## §. LVII.

Præterea (§. LIV.), ut ex ipsa ossium fabrica patescit, ita a certa pariter experientia constat, *duriores*, *compedioresque*, in durioribus ossibus fistulatis maxime, atque cylindraceis, *molliores* contra, *laxioresque* in spongiosis, atque cavernosis ossibus, ut manuum, pedumque extremis, sterni, vertebri, *cet.* adeoque etiam in duriorum, ossium cylindraceorum extremitatibus spongiosis sedem suam figere natalem. Hoc observare plurimum refert, & in sistenda diagnosi, atque prognosi, atque universa reli-



liqua hujus morbi Pathologia ætiologica, & symptomatologica æque, ac ipsa ejusdem curatione, singularem habet usum.

§. LVIII.

Neque non expedit hic quoque discernere exostoses *internas*, atque *externas*. Usum hujus *divisionis* quam plurimi illustrent *casus*, bene, maleve cedentes. Ita ejusmodi tumorem in interiore calvariae parte subortum fuisse, annotavit PLATNERVS in *Instit. Chir.* §. MXLI. exemplum ibi allegans in ACTIS PETROPOLITANIS commemoratum. Cel. PETITVS dans le traite des maladies des os T. II. p. 344. recenset exemplum exostosis in osse bregmatis subortæ, ceteroquin benignæ, & 4 pollicum tam latæ, quam altæ, quæ cum, male judicata, modiollo perforabatur, brevi lethalis erat. Infelix operatio!

§. LIX.

*Exostosis*, vel totum aliquod os, aut integram ossis partem, e. g. in cylindraceis integram extremitatem, vel non totum os, nec integram ejus partem infestat. In hoc fundatur exostosis divisio: in a) totalem, & b) partialem, quarum *specierum* notiones sponte patefcunt.

§. LX.

Ex usu omnino esse potest, & hoc teneri in reliqua mali hujus *theoretica* æque, ac *practica* cognitione. Juxta hoc nempe discrimen sistenda est, plus minusve ominosa *diagnos* & *prognosis*. Juxta idem dijudicari quoque potest facilior, difficiliorque, curatio, & ipsa medendi ratio.





## §. LXI.

*Exostosis divisio* in *a)* simplicem, & *b)* complicatam, tam plana, & cuivis tam facile obvia est, ut neque ipsius *fundamentum*, neque specierum, quæ eo nituntur, *definitiones*, disertius exponere, necesse sit.

## LXII.

Idem (§. LXI.) quoque *brevitatis* necessitate, qua Nosologiam hanc expedire cogor, facere licet in *complicatæ exostosis subdivisionibus*. *Simplicis* enim *exostosis* subdivisiones, ex eadem, præsentis *instituti ratione*, præterire potero.

## §. LXIII.

Juxta præcipuas autem, hic animadversas *complicationes*, *exostosis* dividenda venit; in *a)* veneream, *b)* arthriticam, *c)* variolosam, *d)* scorbuticam, *e)* rachiticam, *f)* gangrænosam, *g)* *sphacelofam*, *h)* cancrofam, cet.

## §. LXIV.

Cave, objicias, *gummata gallica* supra (§. XXXXI.) jam disjuncta esse, atque exclusa ab hujus mali familia. Illa enim interpretanda sunt, de protuberantiis venereis, non ipsis ossibus innatis, sed his tantum adfidentibus. *Luis venereæ* miasma omnino etiam in ipsa ossa sæpius sese demergit, ipsamque horum substantiam corripit, inficitque. Cum hoc accidit, tum inde certe *complicata* existit *exostosis*, sive durior hæc fuerit, sive mollior. Posteriori hoc casu emergentes tumores, minimum etiam *gummata gallica* nuncupari possunt, latius nempe dictis gummatibus. Qua *distinctione* observata multæ in hac causa logomachix evitari, litesque componi possunt, frustra hætenus agitatae.

## §. LXV.



§. LXV.

Eodem (§. LXIV.) modo res se habet, quoad *exostofin arthriticam*, modo (§. LXIII.) nominatam. Arthritica enim mala cum exostofibus, præcipue in articulis existentibus, concurrere posse, dubitari nequit. Illorum ergo concursus omnino constituit *exostofin arthriticam*, a qua proinde *tophi*, *nodique arthritici*, similem in modum (§. LXIV.), & æque utiliter, discernuntur, modo distinxeris inter *significatum* horum *terminorum latiore*, atque *strictiore*.

§. LXVI.

*Variolosa* exostosis (§. LXIII. c.), haud adeo infrequens est, frequentior tamen existit *scorbutica* (§. cit. d.), atque *rachitica* (§. cit. e.). Has species pariter, atque *gangrænosam* (§. cit. f.), ad summum nempe inflammationis gradum evectam, & *sphacelofam* (§. cit. g.) seu extincta inflammatione cum mortificatione partium conjunctam, nec non *cancrosum* (§. cit. h.) denique, a quasvis alia rite internoscere, in ipsius reliqua *Pathologia* æque, ac ejusdem *Therapia* multum juvat.

§. LXVII.

Quilibet morbus *vel* sine putredinis fomite existit, *vel* indolis putredinosæ est. Genuinum hoc *fundamentum* esse contendo, ut morborum in genere divisionis in *benignos*, & *malignos*, ita & exostosis in specie: in a) *benignam*, & b) *malignam*. Non me latet, Alios alio sensu usurpare hosce terminos, quo e. g. præter simplices, omnes reliquas exostoses, sine carie, aliisque gravioribus symptomatibus, existentes, in numero benignarum referre solent. Verum enim vero, ut dantur maximi morbi, gra-  
vi-



villimis symptomatibus comitati, qui tamen maligni dici nequeunt, ita existunt quoque exostoses, carie etiam, aliisque gravioribus, accidentibus stipatæ, ideo malignis non mox accensendæ. Plurimum enim discriminis intercedit, inter morbi *magnitudinem*, & *malignitatem*.

#### §. LXVIII.

Finem prælibatis (§. L — LXVII.) discriminibus imponat exostosis *a*) in medicabilem & *b*) immedicabilem divisio, quæ in medicina facienda semper & ubique ob oculos habenda est, ne vel negligamus, quam in medicabili hoc malo adhuc facere, vel quam amplius facere non possumus, frustra tentemus medicinam, posteriori attamen casu non neglecta *palliatio*, unico, ejusmodi miseris relicto solamine medico,

#### §. LXIX.

Jamjam perquam facilis, & nemini non obvia esse poterit, prætentatæ nosologiæ adplicatio, ad singularem, ab initio hujus dissertationis commemoratum casum, per quem illam illustrandam sumsi. Collatis enim, quæ præmissa *morbi historia*, relata sunt, palam est, tumorem illum fuisse exostosin, *a*) veram (§. XIV.), *b*) adeoque non spuriam; *c*) nec qualemcunque excrescentiam (§. XVII. XXXI.); sed *d*) exostosin ab excrescentia maxime formatam (§. XXXI. XXXII. LI.); *e*) ab omnibus dictis morbis qualitate (§. XXXII. — XXXXV), & quantitate (§. XXXXVI. XXXXVII.) distinctam; *f*) molliorem, & ex parte osteosteatomaticam (§. XV.); *g*) totalem (§. LIX.); *h*) complicatam (§. LXI.); *i*) gangrænosam, & *k*) sphacelosam (LXIII.), adeoque *l*) malignam (§. LXVII.), & denique *m*) immedicabilem. Unde, quam mors, alius ipsius esse non potuit

**F I N I S.**

---



# FIGVRA R V M

## EXPLICATIO.

---

### FIG. I.

Faciem internam exostosis repræsentans

- A. Pars cavitatis glenoidalis scapulæ fibris osseis exostosi adcreta.
- B. Rudera Capitis ossis humeri.
- C. Pars summa marginis inferioris scapulæ cum exostosis fibris concreta.
- D. Collum scapulæ cum exostosi concretum.
- E. Apophysis coracoidea a basi ad apicem usque exostosi accreta.
- F. Extremitas scapularis claviculæ.

### FIG. II.

Faciem externam exostosis repræsentans.

- A. Acromium, cujus superficies inferior fibris osseis exostosi concreta.
- B. Extremitas scapularis claviculæ.
- C. Apophysis coracoidea a basi ad apicem usque cum exostosi concreta.

### FIG. III.

Repræsentat integrum tumorem fungosum cum cute & partibus adjacentibus.

---



## Errata.

Pag. 4. lin. ult. Fig. 2. l. Fig. 1.

p. 6. l. 4 Quam l. Quæ.

eadem p. lin. 11 exquisitionis l. exquisitioris.

p. 10. lin. 15 naturum l. naturam, & *υζοροοις* l. *υζοροοις*.

p. 11. lin. 20 strictore l. strictiore.

p. 13. lin. 19. adcutate l. adcurate & lin. 20 eadem pag. vendicant  
l. venditant.

p. 14. lin. 1. divinitionis l. definitionis.

p. 16. lin. 3 Pathologiis l. Pathologis.

p. 17. lin. 1. (§. XXXV) l. (§. XXXVI.)

p. 19. lin. 6. (§. I.) l. (§. L.)

p. 20. lin. 17. Compectioresque l. compactioresque.

p. 24. lin. 16. quæ præmissa l. quæ in præmissa.





*Dessiné d'après la Nature et gravé par L. Néve Clève de L'Acad. Méd. Douai à Rougemont, 1781.*



